

652
P A R S S E C U N D A .

Examen Prædicatorum.

C A P U T I .

De Causa efficiente sacræ Con-
cionis.

Quis predicare debeat.

384 **A**D Apostolicum sacræ prædicationis munus rite exercendum, tria necessario requiruntur, quorum altero deficiente, nemo predicare debet.

Primum est irreprehensibilis vita; quia (teste Tullio) *Capus est artis, dicere, quod facis*. Hinc D. Hieron. ad Nepotianum scribens, ait: *Non confundant opera sermonum, ne cum in Ecclesia loquaris, tacitus quisque respondeat: Cur hæc, que dicis, ipse non facis?*

385 Secunda est solida scientia: ut saltem omnia, quæ pertinent ad mysteria fidei, mandata Dei, & Ecclesiæ; vitia, & virtutes, hæreses, atque erroneas opiniones, dignoscere, ac enucleare calleas; quod satis apte præstabis, si priores tomos hujus operis familiares habebis.

Tertium est legitima missio: nimirum ut à Præbato, ad quem spectat, sit tibi commissum, vel saltem concessum; nam, ut inquit Apostolus ad Rom. 10. *Quomodo predicabunt, nisi mittantur?* Vide Bullam Clem. X. *Superna* 1670. in tom. I. ver. *De approbatione Confessarii*.

C A P U T II .

De Causa finali.

Prædicatoris finis

386 **E**sse debet, ut peccatores peccato mortui ad vitam per penitentiam revocentur; & uti justii, qui charitate vivunt, abundantius vita fruantur, juxta illud Joan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

C A P U T III .

De Causa materiali.

Quid prædicari debeat.

387 **P**rædicationis materia est verbum Dei: *Prædica verbum*, dixit Apostolus. 2. ad Tim. 4. Consistit autem hæc verbi Dei prædicatio (ut suos fratres monet Seraphicus P. S. Franciscus) in annuntiando *visis & virtutes, panam & gloriam*.

QUIBUS REBUS FULCIRI DEBEAT
VERBUM DEI, ET QUO
ORDINE.

388 **C**um Verbum Dei prædicamus, firmis doctrinis fulcire dicta nostra debemus, ut audientium corda movere possimus. Primum fulcimentum est *Auctoritas sacræ Scripturæ*, in aliquo ex quatuor sensibus interpretata (ut infra) pro cuius interpretatione Sanctorum Patrum instrumentis uti necesse est, ne in errorem incidamus. Unde secundum fulcimentum esse debent *Sententia Sanctorum Patrum, & Conciliorum*. Tertium *Rationes*. Quartum *Similitudines*. Quintum *Exemplum*.

DE SACRA SCRIPTURA.

389 **S**acra Scriptura, cujus autor est Spiritus Sanctus, duas habet partes, Veteris scilicet, & Novum Testamentum. Utrumque subdividitur in quatuor partes, in libros nempe legales, historiales, sapientiales, & Prophetiales. In veteri testamento *Legales* sunt quinque libri Moysis, videlicet, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. *Historiales* sunt decem in veteri testamento dispersi. *Sapientiales* sunt quatuor, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, & Ecclesiasticus. *Prophetiales* sunt sex, quatuor Prophetæ majores, Ihasa, Jeremias, Ezechiel, & Daniel, liber duodecim Prophetarum, & liber Psalmorum.

390 In Novo Testamento libri *Legales* sunt quatuor Evangelia. *Historiales* sunt Actus Apostolorum. *Sapientiales* Epistolæ Apostolorum; & tandem *Prophetiales* Apocalypsis B. Joan. Apost. Qui omnes libri numerantur à Conc.

De Causa materiali. Cap. III.

653

D I V I S I O .

Conc. Trid. sess. 4. & secundum vulgatam D. Hieronymi sunt de fide tenendis; translatio vero septuaginta Interpretum non est de fide; est tamen majoris auctoritatis, quam aliorum translatio.

391 Libri Sacræ Scripturæ dicuntur Canonici, quia continent regulam, quam sequi debemus in materia fidei, & morum, & quia sunt relati & à Sancta Ecclesia recepti inter Catalogum librorum divinatorum, seu à Deo inspiratorum; Canon enim regulam significat, & Catalogum. Libri autem Canonici ex Decr. Trident. sess. 4. sunt. *Genesis, Exodus, Leviticus; Numeri, Deuteronomium, Josue, Judices, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, Ecclesiasticus, quatuor majores Prophetæ, duodecim minores, duo libri Machabæorum*. Hi ex veteri Testamento. Ex Novo vero *Quatuor Evangelia, Actus Apostolorum, quatuordecim Epistolæ Pauli, una Joannis, una Petri, una Jacobi, una Judæ, Apocalypsis Joannis*. Adeoque qui præfatos libros pro sacris, & Canonicis, seu à Deo inspiratis non susceperit, aut qui aliquam veritatem in illis contentam, v. grat. in principio creavit Deus Cælum, & terram; negaverit, erit hæreticus. Alii duo libri, nempe tertius, & quartus Esdræ, non sunt ab Ecclesia recepti pro Canonicis; sunt tamen magnæ auctoritatis, quoniam à nonnullis Sanctis Patribus citantur, & à Sixto V. in sacris Bibliis post libros Canonicos, una cum oratione Manasse fuerunt appoliti.

DEFINITIO.

392 **S**acra Scriptura est liber vite scriptus in Prologo, & foris. Ita Lyranus noster in Prologo, que definitio est desumpta ex illo Apocalypsis, cap. 1. *Et vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus, & foris*.

Dicitur *Liber Vite*, quia vitam tribuit eam bene exponentibus, & operibus exequentibus, juxta illud Ecclesiastici, cap. 14. *Qui elucidunt me, vitam æternam habebunt*. Dicitur *scriptus intus, & foris*, ut per ly intus significetur sensus spiritualis, & per ly foris sensus literalis.

393 Sensus sacræ Scripturæ est ille, qui est intentus à Spiritu Sancto, qui est autor, & causa principalis Sacræ Scripturæ; prædeterminans saltem moraliter Sacros Scriptores, qui sunt causa minus principalis.

394 **U**nde sensus Sacræ Scripturæ in prima sui divisione est duplex, *Litteralis, & Spiritualis*, seu mysticus. *Litteralis* est illa significatio prima, qua voces significant res, ad quas significandas sunt impoſitæ, ut Deuter. cap. 6. *Audi Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est. Spiritualis*, seu mysticus, & metaphoricus est illa significatio, qua res per voces significatæ rursus significant per similitudinem, & figuras; ut Matth. 5. *Si manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proſice abſte*. Ubi per manum abſcidendam intelligitur amicus, qui scandalum aſfert, & est causa ruinæ, cujus scandalizante homo debet abſcindere à se; unde sensus litteralis à mystico differt per hoc, quod in litterali significato attenditur à voce, in mystico vero à re.

395 Sensus *Litteralis* est duplex, historicus, & parabolæ. *Historicus* est ille, quo aliqua significantur historia, ut præſertim in libris Regum, & Machabæorum contingit; *Parabolæ* est ille, quo aliqua significantur parabola, seu comparatio, ut patet in Evangelio de Patrefamilias. Sensus *mysticus* est triplex, Allegoricus, Tropologicus, seu Moralis, & Anagogicus.

SUMMA DIVISIONIS.

396 **H**inc summam sensus Sacræ Scripturæ sunt quatuor, nempe *Litteralis, Allegoricus, Tropologicus, & Anagogicus*, qui sensus explicantur his verbis:

Littera gesta docet, quid credas Allegoria, Moralis quid agas, quo tendas Anagogia. Sensusigitur *Litteralis* res accipit, sicut verba ipsa significant; Sensus *Allegoricus* ostendit nobis, quid sit credendum, quia tendit circa credibilia; dicitur *Allegoricus* à nomine Græco *Allon*, quod est *Alienum*, & à *Logos*, quod est sermo, quasi sit alienus sermo ab eo, quem voces sonant. *Tropologicus*, seu moralis quid agendum, quia tendit circa moraliter agenda; dicitur *Tropologicus* à nomine Græco *Tropos*, quod est *Conversio*, & à *Logos*, quod est sermo, quasi sit sermo conversus ad animæ edificationem, & morum; informacionem.

Anagogicus de motu, quid sit sperandum, quia tendit circa speranda in æterna beatitudine. Dicitur *Anagogicus* à nomine Græco *Ana*, quod est *Insurgens*, & *Goge*, quod est *ductio*, quasi quod sit sursum ductio, seu locutio de terrenis, quibus significantur cælestia.

EXEM.

EXEMPLUM.

Jerusalem.

397. **I**n sensu literali significat Civitatem Judææ. In Allegorico Sanctam Ecclesiam militātem à nobis credendam, juxta illud Apocal. 21. *Vidi Civitatem sanctam Jerusalem novam descendentem de celo à Deo paratam, sicut visam ornatum viro suo.* In Tropologico significat animam nostram sanctis operibus, & virtutibus ornandam, juxta illud Jeremæ c. 1. *Jerusalem, Jerusalem convertere ad Dominum Deum tuum.* In sensu denique Anagogico significat Ecclesiam triumphantem, nempe Patriam celestem à nobis sperandam, juxta illud Pauli ad Galatas 4. *Ille, quæ sustinet Jerusalem, est libera, quæ est mater nostra.*

SENSUS ACCOMMODATIVUS.

398. **E**t sic, quo quis Sacram Scripturam proprie mentis sensu accommodat. Sic Orator in nova electione Ducis cujusdam Republicæ, cui nomen erat *Prosper*, usus est verbu *Psalm. 44. Intende, Prospre, precede, & regna;* utendo æquivoco adverbii in nomen. Et alius ad exprimendam Principum conventionem circa Monarchiæ Hispaniæ partitionem, & Dei inexpectatam providentiam in ea conferenda incoluntium cum constituto ne Regis, usus est illo *Psalm. 2. Qui habitat in celis, videbit eos. Ego autem constitutus sum Rex ab eo.*

At Sacri Orator abstinere debet à sensu accommodatio, qui non sit sensus virtutis, & unus ex quatuor.

QUÆRES;

399. *An in omnibus locis Sac. Scripturæ reperiri possint omnes quatuor sensus?*

Resp. negative, in multis enim locis solum reperiri potest sensus literalis, nullo ratiō mysticus, ut in illo: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Et in illo alio: *Domineus Deus tuus unus est;* qui sensus est solum literalis, non mysticus.

Contra in multis locis solum reperiri potest sensus mysticus, nullo modo literalis, ut in illo *Judic. 6. 9. Irant ligna, ut auferent supra se Regem;* qui sensus nullo modo potest esse literalis, sed solum mysticus; nam per signa intelliguntur habitatores Urbis Sichen, qui constiturunt Abimelech supra se Regem ut in eodem Textu exponitur. Similiter in hoc alio lo-

co: *Inveni hominem secundum cor meum;* ubi *19. Cor non potest sumi literaliter, quia Deus non habet cor, sed mystice per voluntatem. Et in illo *Psalm. 78. Comederat Jacob, & locum ejus desolaverunt;* ubi non potest haberi sensus literalis, quod scilicet Jacob, & locum ejus comederit; sed mysticus, & metaphoricus, nimirum, quod Jacob, & locum ejus deprædavit sunt.*

Tandem multa loca habere possunt omnes quatuor sensus, ut in *Gen. c. 16. dicitur, quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & alterum de libera;* ubi per duos filios Abraham in sensu literali denotantur Isaac, & Ismael: Isaac vir bonus filius Saræ uxoris Abraham, & Ismael homo ferus filius Agar Ancillæ Saræ. In sensu Allegorico per duos filios significatur duo Testamenta, ut exponit Apostolus ad Galatas 4. *Ismael enim Verus significat, Isaac vero Novus.* In sensu morali, seu Tropologico, significari possunt duo filii spirituales unius Patrii, quorum unus ut Isaac proficit, alter ut Ismael à perfectione deficit. Et demum in sensu Anagogico per duos filios significari possunt Angeli, quorum multi steterunt, & sunt boni, multi ceciderunt, & sunt mali.

DE QUATUOR CONCILIIS.

400. **C**oncilium Oecumenicum, videlicet Generale, & Universalis ad totum Orbem Christianum pertinentia, à Sede Apostolica approbata, & ab Ecclesiâ recepta, hucusque sunt decem, & octo, Tridentinum inclusio: quorum principaliora sunt prima quatuor, quæ ad authenticandam, stabilendamque fidem, quam Sacra Scriptura prædicat, conveniunt.

401. Primum est Nicænum, quod celebratum est ab anno Domini 427. usque ad annum 330. sub Silvestro Papa, & Constantino Imperatore, ubi conveniunt Episcopi 318. numero quidem sacro, quia longe ante figuratum in Sacra Scriptura in illis 318. militibus, quibus Abraham victoriam de quinque Regibus reportavit. In hoc Concilio damnata sunt heretici Arii, inæqualitatem inter Divinas Personas ponentis, afferentis Filium creaturam. Unde Concil. Filium consubstantialem Patri constituit, & proinde Symbolum fidei ab Apostolis editum, demum construxit; addendo illam particulam: *Consistentiorem Patri,* statuitque, ut post hymnum glorificationis, qui est *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto,* adderetur: *Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in seculum seculorum, Amen.*

402. Secundum est Constantinopolitanum, quod est celebratum anno Domini 383. sub Damaso Summo Pontifice, & Theodosio Seniore Imperatore, ubi conveniunt 150. Patres; cui Concilio interfuit S. Hieronymus contra Macedonium negantem Spiritum Sanctum esse Deum.

403. Tertium est Ephesinum, quod celebratum est anno Domini 434. sub Celestino Papa, & Theodosio Juniore Imperatore, ubi conveniunt 200. Episcopi. Causa Concilii fuit hæresis Nestorii Episcopi Constantinopolitani duas personas in Christo admittentis, ac proinde unitas sub accidentalibus ratione, nempe per affectum; qui error fuit damnatus, & sanctum in duabus Christi naturis unam manere personam, nempe Verbi, adeoque duas naturas divinas, & humanam esse unitas substantialiter in ratione substantiali hypostasis, seu personæ; & ex tunc in Salutatione Angelica additum fuit: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, &c.*

404. Quartum est Calcedonenſe, quod celebratum est anno 451. vel 454. sub Leone Papa, Valentiniano, & Martino Imperatoribus, ubi conveniunt 630. Episcopi contra omnes hæreses, præsertim contra Eurychen Constantinopolitanum Archimandritam, in Christo unam naturam adserentem, & ejus defensorem Dioscorum Alexandrinum Episcopum; ubi illi condemnati sunt cum aliis hæreticis, & definitum, sic Christum de Virgine natum, ut duarum naturarum, divinarum, & humanarum, secundum substantialiter realiter distinctarum, & impermixtarum remanserint, unitæ solum in unitate personæ Verbi; ita ut Christus verus Deus sit, & verus homo.

405. Præmissa quatuor principalia Concilia, Ecclesiâ sancta tanquam quatuor Evangelia amplectitur, & veneratur cum Divo Gregorio in *Sicut disp. 15. De Conciliis erudite agit Bellarminus tom. 1. contr. 4.*

DE SS. PATRIBUS.

406. **A**d explanationem S. Scripturæ, & confirmationem doctrinæ, quam prædicamus, sententis Sanctissimorum Patrum, & aliorum Scripserunt Ecclesiasticorum uti debemus, quantum ad omnia ea, quæ ab Ecclesiâ universalis sunt approbata, & communiter recepta; inter quos præcipue elucet Hieronymus in sensu literali, Ambrosius in Allegorico, Augustinus in Anagogico, Gregorius in Morali.

407. Semper autem sunt attendendæ Ro-

manorum Pontificum sanctiones, etiam si doctrinæ sint Augustini; nam de fide est, non Augustinorum, sed Romanorum Pontificum ex cathedra loquentem, errare non posse in materia fidei, aut morum. Hinc Augustinus ipse ait cont. epist. fun. *Non credent Evangelio, nisi quia Ecclesiæ Catholicæ credo.* Imo super quamvis doctrinis Sanctus sane se retractavit, pro quo librum retractationum construxit. Adde, præfatos Sanctos Patres in aliquibus discordare, quia Ecclesiâ permittit, quatenus nec contra fidem, nec contra bonos mores redundant: v. tom. 2. prop. 30. ab Alex. VIII. damna.

408. Quando autem inter se Patres, & Doctores discordant, liberum est nobis sequi, quem volumus; abstinendum tamen est ab illis opinionibus, quæ possunt controverti, & repelli, quia non ad disputandum contra Patres, & Catholicos Doctores, sed ad populum erudiendum, pergamus ascendimus. Hinc Sacram Scripturam contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesiâ, aut contra unanimum Patrum consensum, prout Tridentina Synodus cavet, Prædicatorem nullo modo ad suos sensus contorque licet. Si vero aliquam novam interpretationem ab Ecclesiâ sensu, Sanctissimumque Patrum sententis non alienam, ad fidei Catholicæ doctrinam illustrandam, vel ut pietatis studium excitet, aliquando adferre voluerit, aliquid brevi præfabitur, quod id sibi licere humiliter petat: v. tom. 398.

Sententia tamen SS. PP. postquam latine prolata fuerint, vulgari idiomate vertenda sunt ad erudiendum plebem.

409. Nec parvipendenda est auctoritas Philoſophorum, inquam, qui non solum naturæ vim, & effectus, verum etiam morum, & vitæ normam investigaverunt, idque magna ex parte sunt consecuti, ut fuerunt Plato, Aristoteles, Seneca, Tullius, & alii; illis enim ubi fuit quoque SS. PP. in suis concionibus ad majorem perditorem fidelium consulationem.

DE RATIONIBUS.

410. **P**roliquo auctoritatis probata fuerit, propositio, consequens est illam suscipere rationibus, quas vel Doctores, vel ipsum ingenium dare possunt. Rationes autem deducendæ veniunt à locis communibus, videlicet

1. *A Definitione.* Definio est, quæ explicat naturam rei definitæ, vel per proprium

genus, & propriam differentiam, quæ est proprie *Definitio*; vel per alia additamenta, quæ tamen non pollut alteri convenire, & hæc vocatur *Descriptio*. Exemplum hujus loci dat D. Gregorius Nyllenus, qui, ut auditores excitaret ad gratias Deo agendas, sic hominem definiit: *Homo est apus De ratione præditum, ad ejus, à quo creatum est, imaginem factum.*

Utitur etiam Ecclesiasticus Orator definitionibus à sensibus hominum ductis, ut est definitio, quam assertit Jacobus Apoll. Ep. 4. cap. 15. cum dicit: *Quæ est vita vestra? vapor ad modicum patens, & deinceps exterminabitur.*

Interdum etiam alienis à vulgari loquendi consuetudine: quomodo D. Basilus in oratione ad divites, postquam eorum excusationem proposuit, deinde argumento à definitione sumpto redarguit, dicens: *At te ipsum pauperem esse dicis, & ego assentior: pauper enim est, qui multa desunt: ut multis autem rebus indigeat, insatiabilis habendi cupiditas efficiat.*

2. *A partium enumeratione* ducitur argumentum, quando enumeratis aliis rebus, quæ possunt ad rem facere, præter illam ab Oratore propositam, non invenitur, quod quæritur. Exemplum habetur in Ecclesiaste Salomonis ad probandum, quod omnia sint vanitas. Item in Prophetia Jeremiæ, cap. 9. ubi ostenditur in solo Deo gloriantium, enumeratis rebus, in quibus homines gloriantur solent, his verbis: *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, & non gloriatur fortis in fortitudine sua, & non gloriatur dives in divitiis suis: sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, sene, & nolle me, quia ego sum Dominus.*

3. *Ab Etymologia* sumitur declarando rem ex vi, & natura nominis, quo res quæque prædita est. Exemplum dat S. Hier. qui scribens ad Heliodorum Monachum, hoc utitur argumento: *Interpretare nomen Monachi: hoc est nomen tuum, quid igitur facis in turba, qui solus es?*

4. *A Conjugatione*. Conjugata dicuntur ea, quæ ab uno orta varie commutantur, quorum utus est frequens: ver. g. *Si Christiani sumus, christiane vivamus.* Exemplum etiam præbet Apollolus: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de Cælo Cælestis: sicut portavimus imaginem terreni, portemus imaginem Cælestis.*

5. *A Genere, & Specie*. A genere potest argumentari ad speciem, v. gr. *Vitium est fugiendum, igitur fugienda est avaritia.* Item è converso à specie ad genus, v. gr. ad pro-

bandum, peccata miseros homines effecere, sic contritum argumentum potest: *Admirum, homicidium separavit à Deo, quæ est maxima miseria; igitur peccata miseros homines efficiunt.*

6. *A Simili*, sit argumentum ex comparatione unius rei cum altera, quæ in aliquo adimilatur: ver. gr. *Sicut vita naturalis illius agrivi desperatur, qui naturalia medicamina spernit; ita vita gratis desperatur peccatoris, qui spiritualia medicamenta contemnit.*

7. *A Dissimili*, etiam sumitur argumentum per dissimilium comparationem. Exemplum habetur in libro Prov. cap. 4. ubi dicitur: *Justorum autem semita, quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem: via impiorum tenebrosa.*

8. *A Contrario*. Quatuor secundum Cicero-nem sunt contrariorum genera, *Adversa, Privantia, Relativa, & Contradictoria*, à quorum singulis potest Ecclesiasticus Orator sumi ducere argumentum.

9. *Ab Adversis*. Adversa sunt ea, quæ sunt positive opposita, seu contraria, ut *Sperbia, & Humilitas, Jejunium, & Crapula, &c.* Unde ab Adversis potest sic argumentari: *Superbiam omnium peccatorum fundamentum virtutum inflectitur.*

10. *A Privantibus*. Privantia sunt illa, quæ privative opponantur, ut forma, & ejus carentia in subiecto apto nato ad illam habendam; ita *Gratia*, quæ appellatur *lux*, privativa potest intelligi opposita peccato, quod vocatur *tenebra*. Unde fit potest formari argumentum: *Sicut lux gratiæ est amanda, ita tenebra peccati est fugienda.*

11. *A Relativis*. Relativa illa sunt, quorum unum referunt ad aliud, ut *Pater, & Filius, Dominus, & Servus*. Exemplum hujus argumenti à Relativis habetur in Malachia cap. 1. his verbis: *Filius honorat Patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si dominus ego sum, ubi est timor meus?*

12. *A Contradictentibus*. Contradictentia, seu contradictoria ea sunt, quorum unum negat illud, quod alterum affirmat; ut *scire, & non scire*. *Contradictentibus* igitur potest hoc modo Orator ducere argumentum, ver. gr. *Qui Christum diligit, mandata ejus servat; igitur qui ejus mandata non servat, Christum non diligit.*

13. *Ab Adjunctis*. Adjuncta dicuntur ea, quæ cum rebus, vel personis, quoquo modo sunt conjuncta, sive inseparabiliter, ut sunt proprietates, & attributa: sive separabiliter, ut locus, tempus, velitus, comita-

tus, apparatus, colloquia, velocitas, in incessu robur vultus, pallor, & alia, quæ rem magis expriment, & actiones aut meliores, aut deteriores efficiunt. Hoc loco usus est S. Basilus ferm. de Jejunio, dicens: *Jejunavit color, gravitatis plenus est, non in impudencem ruborem efflorescens, sed pallore modesto ornatus, placidus & levis oculus, sedatus incessus, vultus animi secum loquentis index, nulla intemperantis risus insolentia, moderatio lingue, & cordis puritas, &c.*

14. *Ab Antecedentibus* argui potest deducendo consequentias, quæ ex illis necessario sequuntur.

Exemplum: Dicit Apollolus t. ad Cor. c. 13. *Quod caritas patientis est, benigna est, caritas non emulatur, non agit perperam, non insuatur, &c.* igitur qui est caritatis præditus, patientis est, benignus est, &c.

15. *A Consequentibus*. Non instructivum erit à consequentibus etiam probare antecedentia, hunc enim locum adhibuit ipse Hieronymus in Evang. Matth. c. 5. ubi à consequentibus probat: *Beator est pauper spiritus, quia tristior est Regnum Cælorum: item Beator unites, quoniam ipsi possident terram, &c.*

16. *A Repugnantibus*. Repugnantia differunt à contrariis, & dissimilibus, eo quia illa aliquem ordinem servant inter se, illa vero neque aliqua certa lege, neque ordine inter se opponuntur: sic repugnat dicuntur fatum cum hominis libertate, invidia cum charitate, crudelitas cum delictis, &c. Hoc loco usus est Divus Ambros. in sermo de Decoll. S. Joan. Bapt. ubi ait: *Postremo quod etiam omnes barbari horreo consueverunt inter epulas atque convivia consummande crudelitatis profertur edictum, &c. & infra: Quid evidentiæ cum delictis? quid cum furore voluptatis? &c.*

17. *A Causis*. Quoniam quatuor sunt genera causarum, Materialia scilicet, ex qua res est: Formalis, per quam res est: Efficientis, à qua res efficitur: & Finalis, cuius gratia omnia fiunt: hinc à singulari potest Ecclesiasticus Orator sumi elicere argumentum, ut infra.

18. *A Causa materiali*. Quia è limo terra formata sumus. S. Basilus in Ousefuo: *Attende tibi hoc locum ita expressit, dicens: Excultus ob divitias, & ob majorem suorum nobilitatem te iactas, & propter patriam, & pulchritudinem corporis attende tibi ipsi, quod mortalis es, quod terra es, & in terram revertetur.*

19. *A Causa formali*. Ita arguit D. Bernardus: *O anima insignis Dei imagine, decorata similitudine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, deputata cum Angelis; & capax beatitudinis, quid tibi cum carne?*
Examen Ecclesiastic.

20. *A Causa efficiente* adhibet exemplum Regius Palamita, Psalm. 93. dicens: *Qui plantavit aures, non audivit: qui fixavit oculos, non considerat: probans per hoc, Deum humanam curare.*

21. *A Causa finali* sic argumentari poterit Orator: *Homo ad consequendam æternam beatitudinem est formatus: Igitur igitur, qui in temporalibus deliciis, in divitiis, in honoribus beatitudinem collocat:*

22. *Ab Effectibus*. Sicut quatuor sunt genera causarum, ita quatuor genera effectuum, qui ex illis causis oriuntur. Ab hoc loco ostendit Christus Joan. cap. 10. se esse bonam Pastorem, dicens: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem qui non est lupum venientem, & fugit; quia mercenarius est, &c.*

23. *A Comparatione* ducitur argumentum, quando arguitur vel à majori ad minus, vel à minori ad majus, vel à pari.

24. *A Majori ad minus* usus est D. Hieronymus scribens ad Heliodorum his verbis: *Filius hominis non habet, nec capit suam rectitudinem, & tu amplius portiones, & ingentia telorum spatia metiris?*

25. *A Minori ad majus* arguit Div. Basilus in orat. ad divites: *Mare totius terrarum, non transgressus antiquam novum descriptionem, at vero aratus non veteris temporis, non statuit terminum, non concedit consequentias successorum; sed igitur visiolemiam imitator, omnia carpit, omnia despoliat.*

26. *A Pariconcione* S. Augustin. in quodam sermone verbis: *Et nos, & omnis populus istius Domini servi sumus; & si bene agimus, ad unum beatitudinem pervire pervenimus; & quare pauper recum non est per cibum, qui tecum acceptus est Regnum; quare pauper non accipit vel veterem titulum, qui tecum receptus est immortalitatis gloriam? quare pauper non invenit patrem tuum, qui tecum ad civitatem invitatus est Angelorum?*

DE SIMILITUDINIBUS.

611. *Similitudines*, quæ certe magna vi mentem illuminant, & voluntatem movent, erui possunt vel ex ipsis humanis actionibus, utam quædam alia comparando: quomodo Christus Dominus similitudine vigilantis Pastoris, & omnis erantis, obligationem superiorum circa subditos ostendit; vel à naturali historia, nempe ex proprietatibus & natura herbærum, florum, plantarum, & animalium, quomodo Deus in Deuteronomio cap. 32. ostendit Hebræis curam, quam de

ipſis habuit, ſimilitudine Aquilæ, dicens: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumptis eam, atque portavit in humeris ſuis: vel ex ipſis vulgaribus rebus, quomodo ipſe Chriſtus aſſimilavit Verbum Dei ſemini, quod ſeminavit homo in agro ſuo.*

Caſendum, ne ſimilitudines indecenter, & viliter aſſerantur: aliquam riſum, & non fructum in auditoribus excitant.

DE EXEMPLIS.

412 **U**ltimum, quamvis non inſimum locum in ſacra concione obtinent exempla: plurimum enim valent ad movendum auditorum animos. Sumenda autem ſunt præſertim exempla ex hiſtoriis factis Sacræ Scripturæ, vel ex Vita Sanctorum, & Sanctarum, vel ex mirabilibus à Deo patris in peccatoribus, ſive ad offentionem miſericordiæ ſuæ, ſive juſtæ vindictæ: dixi: *Præſertim ex hiſtoriis factis*; nam hiſtoriæ prophæta, quæ ex vitis gentium, vel mundanorum vitiorum deſumuntur, quamvis aliquando pro qualitate materiæ, de qua agitur, probæ ſint: non tamen ita frequenter, ſed parce eis uti debet Sacer Orator.

Hiſtoria vero naturalis, quæ ex ipſa natura ſumitur, & proprietatibus rerum viſibilem à Deo creatarum, non inſervit ad exempla, ſed valde utilis eſt ad verbum Dei comprobandum per ſimilitudines, comparationes, & per argumentationem à minori ad majus.

413 Advertenda autem ſunt quinque. 1. Quod quævis utile fit aliquando, etiam Sanctorum peccata, & errores, ad humanam offendendam infirmitatem, & excitandam ſpem in magnis peccatoribus, in memoriam revocare; haud tamen ita frequenter illa commemorare debemus, ne auditoris inde licentiæ occaſionem ſumant, & erudiantur ad excuſandas excuſationes in peccatis.

2. Ne inſipidis deſcriptionibus circumſtantiarum loci, temporis, vel prærogativarum perſonæ, vel alterius rei, quæ aſſertur in exemplo, detineatur oratio, ut deſcribendo pulchritudinem, indumenta, & ſimilia, cum naturaliter ipſa hiſtoria producta fructum afferre poſſit.

3. Ne colloquium inter perſonas hiſtoriæ inducatur, niſi ipſa hiſtoria verba præbeat vel probabiliffimè interantur.

4. Ne ita breve exemplum ſit, ut cor pe-

netrare non valeat; nec ita longum, ut tædio auditores aſficiat.

5. Quod à fabulis poetarum ſacer Orator abſtineat, vel adeo parce illis utatur, & breviter, ut ſere nihil ſit, quando ſcilicet aptiffimè cadant, & in talibus circumſtantibus, ut pro antidoto eſſent, non tamen proſiſſionem redderent, non enim bene Arca Teſtamenti, & Idolum Dagon conveniunt.

CAPUT IV.

De Cauſa formali.

Quomodo debeat concio formari?

414 **O**mnia orationum genera, & quæ à Rhetoricis eſſormari poſſunt, ad tria principaliter reducantur, & ſunt: *Demonſtrativum* videlicet, *Judiciale*, & *Deliberativum*. Genus *demonſtrativum* eſt illud, in quo laudatur, vel vituperatur: *Judiciale*, in quo accuſatur, vel defenditur: & *Deliberativum*, in quo perſuadetur. Genus *Demonſtrativum* habet pro objecto præteritum, & honoratum: *Judiciale* præſens, & injuſtum: *Deliberativum* vero futurum, & utile.

415 His autem tribus generibus addi poteſt quartum, quod vocatur *Doctrinale*, & conſiſt tantum in edocendo veritatem, & in declarando textus, leges, & præcepta, unde quælibet concio in uno ex his generibus poteſt ab Eccleſiaſtico Oratore eſſormari.

GENUS DEMONSTRATIVUM

416 **S**olum conſiſtit in narratione; unde concio in genere demonſtrativo tunc fit, quando enarratur myſteria fidei, vel vitæ Sanctorum, aut Tyrannorum; & quæ hominum impiorum factiora. In quo genere obſervanda ſunt ea, quæ à Legiſtis obſervantur, contenta in illo verſu:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cor, quomodo, quando.

1. *Gr.* ſi fermo ſit de aliquo Sancto. 1. memorare debet, *Quis* fuerit, ſcilicet ejuſ nomen, parentes, & patriam. 2. *Quid* egerit in toto vitæ ſuæ curſu, nimirum exercitia virtutum, heroicæ actiones, prodigia, & miracula. 3. *Ubi* ea omnia patraverit. 4. *Quibus auxiliis*, videlicet miracula,

in virtute Nominis Jeſu, vel ſigno Crucis, vel invocatione Beatæ Mariæ Virginis, aut alterius Sancti: Exercitia vero virtutum, auxilio Dei, medio S. Oratoris &c. 5. *Cor.* ſeu ad quem finem ea omnia egerit, ſcilicet ad majorem Dei gloriam, ſalutem animæ ſuæ, & aliorum utilitatem.

6. *Quomodo*: hoc agendo cæ miraculis, an illa patraverit impoſitione manuum, vel veſtium contactu, aut olei unctio, &c. Si vero de virtutibus: quomodo eas exercuerit, referendo modos ab eo adhibitos in oratione agenda, in obſervando caſtitem, paupertatem, obedientiam, abſtinentiam, patientiam, humilitatem, charitatem, &c. 7. Tandem *Quando*: quo tempore illa patraverit. Similiter obſervandum, ſi fermo ſit de aliquo myſterio.

Poteſt etiam hoc genus demonſtrativum ad virtutes, & vitia adhiberi, quando ſcilicet concio tantummodo ſiſtit in laudem virtutum, vel in vituperio vitiorum, quod fit per eorum definitionem, vel recenſendo bona, aut mala, quæ cauſant.

GENUS JUDICIALE

417 **P**ropriè dictum, ad Eccleſiaſticum Oratorem pertinere non poteſt, quia in ſacris concionibus nullus adeſt Reus, nullus Defenſor, nullus Judex: dicitur autem metaphorice in genere judiciali verſari, quando ita ſcribit vitia, & perverſas conſuetudines reprehendit, ut accuſare videatur, conſtituendo tanquam reum ipſum vitium, & ſtructuram judiciali genere deſumptam adhibendo.

GENUS DELIBERATIVUM

418 **E**xercet Orator, quando Scripturis, rationibus, exhortationibus, vel minis laudet odium, & fugam alicujus vitii, aut amoris, ac deſiderium virtutis.

GENUS DOCTRINALE

419 **A**dhibet, quando Concionatoris finis, & ſcopus principalis alius non eſt, quam edocere veritatem: ſeu edocendo explanare aliquod mandatum Dei, vel Eccleſiæ, aut exponere, ſive litteraliter, ſive myſtice, totum Evaſgelium, vel aliquam ejus partem; aut Sacr. Scripturam; & ſimilia.

DE PARTIBUS ORATIONIS ECCLESIASTICÆ

420 **S**eptem enumerare ſolent Rhetores Oratoris partes: & ſunt *Pivaniſmum*, *Nar-*

ratio, *Probatio*, *Confirmatio*, *Conſutatio*, *Amplificatio*, & *Epilogus*. Hæc tamen partium diſtinctio non ita Eccleſiaſticum Oratorem adtingit, ut illæ omnes neceſſariæ arbitrentur. *Narratio* namque non eſt ſemper neceſſaria, niſi in genere demonſtrativo. *Confirmatio*, & *Conſutatio* probationum ſubjeſta eſt, & in ea continetur; ſi etiam, quæ amplificat, quæ ſummodo probare videtur. Et tandem *Pivaniſmum*, ſeu *Exordium*, & *Epilogus*, ſeu peroratio, adnotationis, & intelligentiæ cauſa adhibentur, quod haud ſemper neceſſario eſt agendum, præſertim in re facili, & nota; unde omnes orationis Eccleſiaſticæ partes ad duas neceſſarias reduci poſſunt, quæ ſunt *Propoſitio*, ſeu *Propoſitum*, & *Probatio*; quoniam vero reguliſſime exordium ſacer Orator, aliqua etiam de exordio tangam.

EXORDIUM

421 **S**eu Proœmium; eſt inſtitutum, ut audientes dociles, attentæ, ac benevoli reddantur. *Dociles* auditores reddet Orator, ſi recto ordine ſe dicenturum, & argutus, quæ ſiones omniſium, interdum pollicebitur. *Attentos*, ſi diſerit, ſe de ſalute animarum ſermonem habiturum, & quod ipſe Deus docerit; aut Sancti Patres ſcripſerint, enucleantur. *Benevolos* tamen, ſi neque inanis gloriæ cupiditate, nec avaritiæ, ſed zelo Dei, & animarum ſalutis; dicendi manus aduſſiſſe preſtabitur.

Debent tamen exordia modèſta eſſe, ſeu verrecunda; gravia, & brevia: *modèſta* quidem ſeu *verecunda*, quatenus ſcilicet nunquam Prædicator, aut raro, ſi neceſſitas cogat, ſe ipſum laudet, vel de ipſo loquatur, vel humilitatem ex-orationis principio præferat. *Grave* item eſſe debet *Exordium*, aliqua videlicet præclara ſententia illuſtratum, propriis verbis, & minime otioſis, quod dicendum eſt, exprimens. Et *Breve*, ut ab omni vanitatis ſuſpicione alienus eſſe judicetur.

Quantum ad loca Exordiorum, Exordia duci poſſunt vel à re ipſa, de qua agitur, ſeu ex ipſis orationis viſceribus, vel ab Auditoribus, vel à loco; vel à perſona ipſius Oratoris; vel à ſimilitudine; vel ab exemplo; vel à ſententia ſacræ Scripturæ. Miſerem etiam vim habent, ſi acumine, aut novitate auditorium molleant aures: Nonnunquam etiam ex abrupto ordiendum. Ad hoc Eccleſiaſticus Oratoris moneo, ut ceptam ſibi Exordium, & Epilogorum à Sanctis Patribus colligant; ut facilius, atque utilius ex tempore dicant.

PROPOSITIO.

422 **P**ost Exordium, utatur Ecclesiasticus Orator propositione illius rei, quam demonstrare intendit; ad quam propositionem tria necessario exiguntur. 1. Quod sit una, ita ut omnia, quæ in Concione dicentur, sive probando, sive amplificando, sive confutando, &c. ad unam conclusionem principalem, reducantur; alioquin si propositio non erit una, neque concio una erit, sed multiplex, verb. grat. de jejuniis fieri possunt quamplures propositiones, ut quod *jejunium sit meritum: quod sit satisfactorium: quod sit antiquum: &c.* quæ sunt plures propositiones. Dicuntur autem propositio una, quando unam habet subiectum, & unam passionem. 2. Quod sit *Catholica*, videlicet consona fidei, & Sanctæ Matris Ecclesiæ locutioni. 3. Quod sit *popularis*, quæ scilicet populorum infirmitati: aut moribus sit accommodata.

Ad orationem disponendam inservit propositionis divisio; sed cavendum est, ne ita instrumento dividendi delectetur Orator, ut confusio nem potius pariat, quam memoria consulat. In tria igitur, vel ad summum quatuor capita, seu puncta, est propositio dividenda.

Exemplum sit propositio: *Jejunium est utile animæ: hæc propositio potest dividi in illa quatuor ab ipsa Ecclesia enumerata, nempe quod jejunium vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur, & conferat præmia.* Ex quo patet, quod partes, in quas propositio dividitur, habere debeant inter se aliquem nexum, ita ut omnes ad illam unam propositionem referantur.

DE ARTE INVENIENDI PROPOSITIONEM.

423 **A**rs inveniendi propositionem est, Sacram Scripturam diligenter perlegere, & ponderare, germanumque illius sensum, & non extortum inquirere, ac juxta illum firmas, & æternæ veritatis Maximas efformare, quibus utetur pro temporis opportunitate. Et ubi sensus literalis haberi non potest, ad alios sensus est recurrendum.

Juvat sacros Expositores, sacrorumque Concionatorum argumenta, ac materiarum indices pervolvere, & imitari.

Sed illud permixtissime proderit ad firmiores profundiusque propositiones inveniendas, ad Orationem mentalem confugere, atque in ea exerceri: in hac enim ipse Spiritus Sanctus men-

tem interius illuminat, & profunda Cœlestium Mysteriorum arcana revelat. In hac quippe schola Sancti Patres, scientia haud humanitus acquisita, sed potius divinitus infusa, tot solidas veritates, & inconcussas doctrinas didicere, totque volumina conscripserunt.

EPILOGUS.

424 **S**eu Peroratio, est terminus orationis. Terminatur sæpe sermo sine cœmatione, præsertim quando sententia aliqua explananda à sacris litteris sumitur, ut fecit S. Aug. in sermonibus ad populum, dicens: *Hæc veritate, hinc fidei animas vestras subjugate, à Christo Domino præmia consecratis Cœlestis Regni.*

Utile tamen est, sæpe cum aliqua commotione animi orationem concludere; commotionis autem Christianæ quatuor sunt species: scilicet *Timor, Spes, Dolor*, seu penitentia, & *Lætitia*: hinc, ut auditorum animos excitet, poterit hoc loco Ecclesiasticus Orator sibi præferre, videlicet, ut ab illecebris Diaboli, à Mundi amore, à domesticis voluptatibus tyrannide illos abducat: aut ipse pro auditoribus penitentibus loquatur, aut faciat eos interdum orantes, atque deprecantes: aut deplorat, & deprecatur etiam cum lacrymis non longa tamen oratione, cum nil citius arefeat, quam lacryma.

QUO ORDINE DISPONENDA SIT CONCIO.

425 **I**n principio sermonis, seu in Exordio Ecclesiasticus Orator, de quo tibi dicendum sit, proponit: deinde, quod propositum, sicut, explanabit: definitione utetur, divisione, rerum distinctione; brevem nonnuquam rationem subjiciet, exemplo, & similitudine rem declarabit; breviter interdum digredietur, ita tamen, quod unde deflexit oratio, eo iterum redire significet; concludat interdum signis argumentis, nonnuquam pluribus explicatis. Quæ explicaverit, cum his quæ sequuntur, conjunget, ad ea idem sententia transiens; & tandem pro ultima conclusionem serventiora, & magis penetrantia adhibeat verba, interdum apposite, sed breviter recapitulando discursus, ut melius in audientium memoria permaneat. Talem etiam adhibeat methodum: ut à principio usque ad medium concionis auditoribus instruat, ac deinceps usque ad finem moveat, & pius affectus ultimo loco excietur.

DE PERSPICUITATE ORATIONIS ECCLESIASTICÆ.

426 **P**erspicuitas Orationis in hoc consistit, quod Ecclesiasticus Orator utatur in dicendo verbis, & nominibus magis propriis, ac communibus, quæ videlicet communi loquentium usu recepta sunt; non autem obscuris vocabulis, vel translatis, quæ non versantur in usu: quomodo enim perluadere poterit, si non intelligatur? Excipe tamen ea quæ propriis vocabulis explicata, sine veneratione, vel horrore audiri nequeunt, ut sunt quedam corporis partes, & etiam aliqua peccata nefanda, quorum nomina propria omnino sunt supprimenda, & circumlocutione explicanda.

QUOMODO PRÆDICARI DEBEAT?

427 **A**d hoc ut Prædicatio Verbi Dei finem suum sortiatur, sex præsertim requiruntur, id est *Divini auxilii imploratio, Dico Prædicatoris Judicium in dicendo, Emendata locutio, Pronuntiatio, & Actio.*

DE IMPLORATIONE DIVINI AUXILII.

428 **P**rinicipium elocutionis, & totius Ecclesiasticæ eloquentiæ à divini auxilii imploratione sumendum est: quis namque audeat de Deo sine Deo dari, aut de divinis sine ope divina tractare? Idcirco, nisi meditatione præcedente, & precibus ad Deum fatus, nemo debet ad verbum Dei enunciantium aliquid, ne aliquando divino destitutus auxilio, præclarissimum hoc munus dedecoret. Hortare etiam, ut nisi prius cœlesti pane refectus, Angelicum hoc ministerium non sibi mereatur.

DE DECORE SERVANDO.

429 **N**onnullæ præscribuntur leges, ut decor tum Prædicatoris, tum Prædicatoris severetur. 1. Requiritur, quod vita Oratoris ab Oratione non discrepet, ne ipsa dictum Salvatoris, Matth. cap. 23. verificetur *Hic sunt, qui dicunt, & non faciunt*; neque enim facilius persuadebit Orator, si illud, quod verbis docet, moribus contradicit.

2. Ne unquam fallum dicat, vel mendacia profertur, nec etiam si speret inde animas omnes peccatorum ad penitentiam se posse convertere: Deus enim nostris mendaciis non eget.

3. Ne auditoribus adoleatur, eos variis epithetis, & titulis frequenter laudando; quamquam aliquando, si suo loco, & tempore adhibeantur, aliquid valent: sed parce illis utendum est; aptius enim esset appellare fratres, & frater in Christo, animas à Deo benedictas, aut

mas Christianas, populum Dei, filios & charissimos, dilectissimos auditores, & similibus.

4. Nec se ipse jaçet, aut suas res pulcherrimas non antea auditas se dicturum pollicendo, vel narrando se in aliis locis dixisse, & admirationem concitasse.

5. Tandem, ne supervacaneis & inutilibus verbis tempus contra.

DE JUDICIO IN DICENDO.

430 **J**udicium, seu Prædicatoris providentia in hoc consistit, quod prius diligenter inquirat mores, præcipua vitia illius Civitatis, Oppidi, aut loci, ubi esse concionaturus, ad hoc, ut pro diversitate morborum opportuna adhibere possit medicamina; non enim eadem methodo collyria sunt applicanda: similiter concionem suam ad ingenium & conditionem audientium accommodare studeat, sic ut enim non deceat pauperes, vel rusticos oburgare de opparis epulis, & de vetulum pingui: ita neque deceat ad ignoras ea, quæ intellectui difficilia sunt, prædicare. Attendere igitur debet Concionatoris prius statum & conditionem audientium, atque circumstantias alias loci, temporis, &c. ne dicatur eis illud Jerem. Thren. cap. 4. *Parvuli perierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

DE EMENDATA LOCUTIONE.

431 **E**mendam locutionem in concionando commendat N. Scraphicus P. S. Franciscus Patribus suis in 9. cap. Regula his verbis: *Mona quoque, & exhortor eosdem Fratres, ut in prædicatione, quam faciunt, sine examinata, & casta corum eloquia, ad utilitatem, & edificationem populi.*

Ad hoc igitur, ut emendate loquatur Ecclesiasticus Orator, hæc observare debet. Caveat.

1. Ne solentis ac barbarissimis auditorum aures offendant.

2. Ne verbis jocosus, vel facetiis risum excitantibus, aut minus honestis sermonibus, vel descriptionibus, obsecratiorem potius, quam pietatem sapientibus, aut fabellis, vel somniis utatur, ne fructum animarum amittat, & suspicionem præbet de se ipso.

3. Ne facti, fortunæ, infirmitatis nomina, aliaque id generis ab Ecclesiæ usi jam præsertim explora, frequenter usurpet. Neve Deos, vel Deas, nisi improbando, vel deridendo gentilium fatuiter, appellare audeat, quos illi tanquam Deos venerare.

4. Ne anicularum adhibeat proverbialia.

5. Ne prædicet miracula falsa, vel incerta, ut prophetias per Sacram Scripturam non approbatas, & à fortiori à se ipso temere exco-gitatas, dicendo, Deum, vel Christum locutum fuisse.

fuisse; quod execranda hypocrisis est. De istis enim conqueritur Dominus, Ezech. cap. 13. dicens: *Ue Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.*

6. Ne infortias narret, vel explicationes Scripturæ adhibeat, quæ ex apocryphis Scripturis sunt desumptæ.

7. Ne Prælati Ecclesiæ, vel Religiosis, aut Ecclesiasticis detrahat, vitia eorum nominatim propalando, sive verbis expressis, sive acquilientibus. Dixi *nominatim*; quia licitum est Concionatori generalibus verbis, vitia etiam Prælatorum, & Ecclesiasticorum dulciter reprehendere. Et quod dixi de personis Ecclesiasticis, etiam de secularibus est intelligendum: cum hoc tamen discrimine, quod nunquam de peruersis quorundam Prælatorum, vel Sacerdotum moribus agat, quin etiam de Prælatore, vel Sacerdoti dignitate, & auctoritate multa dicat.

8. Quod in vitis reprehendis à contumeliis, injuriis, & execrationibus se abtineat: non enim ad rixandum, sed ad monendum, facit Orator pulpitum ascendit: v. 10. *1. ser. contumelia.*

9. Quod nunquam de Prædestinatione loquatur, quin aliqua de libro hominis arbitrio attingat.

10. Quod nunquam matrimonium ita laudet, ut virginitatem ei non anteponat.

11. Ne contra piam, & communem sententiam de Immaculata B. Mariæ Virginis Conceptione aliquid dicere, vel disputare audeat.

12. Ne alicujus Sancti Patris sententiam temere refutat.

13. Ne singulares quasdam opiniones (ut cæteris doctior videatur) in medium afferat, sed tantum illas, quæ non sunt ab Ecclesiæ usu & consuetudine alienæ, & quæ cum probatis Ecclesiæ Doctoribus sint consentaneæ, proferat.

14. Ne civiles Magistratus, vel Dominantes, vel Rectores Civitatum, & locorum pie admoneat.

15. Ne iratum se ostendat, eo quia aliquando corona frequentium auditorum ipsi deficiat.

16. Tandem, quod in uniuersum ab illis verbis abstineat, quæ decorem orationis, vel Oratoris minuunt, aut tollunt; vel admirationem, scandalum, diffamationem, jurgia, errores, & similia in audientibus causare possunt; sed sapienter, clare, humiliter, modeste, & cum prudentia loquatur, ut decet Sacrum Oratorem.

DE PRONUNCIATIONE.

432 **P**ronunciatio, quæ est maxima artis oratoris pars, in idiomate, & vocis moderatione consistit.

DE IDIOMATE.

433 **U**nusquisque (regulariter loquendo) in illo idiomate, ac in ea lingua, in qua natus est, prædicare debet, ut majorem, atque uberiorem fructum ex sua prædicatione auditorum animæ percipiant; maxime in propria Regione, ubi aliena lingua non ab omnibus universaliter percipitur: caveat tamen vocabula nimis rudia & aspera, quibus scilicet genus infimæ plebis, & muliericæ uti solent; sed nobiliora eligat, & perpolitæ, quæ videbuntur à viris doctis, & civilibus communiter adhibentur.

Dixi: *Regulariter loquendo*; quia si in aliena Regione prædicet, & præsertim ubi nativum idioma non percipitur, vel pro vilis habetur, tunc studere debet in idiomate communiori, & magis accepto prædicare, quod est v. gr. in Italia idioma Etruscum cum pronunciatione Romana.

DE MODERATIONE VOCIS.

434 **V**ocem debet ita Ecclesiasticus Orator moderari, ut ab oratione non discordet; sed rebus, quas tractat, vox sit accommodata: aliud enim vocis genus, nempe acutum, & concitatum, requiritur ad exprimendum zelum Dei: aliud, scilicet humile, & demissum, ad consolandum peccatores timore propriæ conscientie perterritos. Ad exprimendum gaudium, vox esse debet lenis, & remissa. Ad dolorem animi manifestandum, vehemens quidam, & gravis sonus vocis requiritur.

Itaque non debet Orator immoderatis veherementibus uti, ubi remissa vox requiritur, & lenis; neque uti leni, & remissa voce, ubi aliqua facessit asperitas, ne frigida evadat oratio; similiter quandam vocis molliem, vel magnitudinem non affectet: nimiam in dicendo tarditatem, & celeritatem effugiat. Et tandem omnem cantilenam vitare studet, sed solum familiarem, liberam, & naturalem dicendi formam adhibeat; caveatque ne uno semper vocis sono tota consistat oratio.

DE ACTIONE.

435 **A**ctio Oratoris, quæ est individua pronunciationis comes, & complementum, in motu & gestu corporis sita est: debet ergo Ecclesiasticus Orator eo modo, quo vocem, gestum rebus accommodare, de quibus tractat: oculi sunt præcipui pronunciationis comites, quorum intentione, & remissione, conspectu, & hilaritate, affectiones exprimentur.

In gestu itaque & motu corporis hæc Concionator cavere debet: scilicet, ne eodem semper gestu, neque manu eodem modo composita, neque semper eadem vultus moderatione utatur. Ne pulpitum manibus percussit, nisi quando rei magnitudo poscit. Ne per pulpitum cursitet, vel saltet. Ne in pulpitum unquam corpore innitatur, vel medium corpus demittat; sed rectus stet, aut sedeat.

Ne, quando maxime commovere studet, oris speciem immutet, quod risum potius, quam commotionem excitat, nec labia lambat, vel

mordeat. Ne caput in latus inclinet. Ne supercilia contrahat, deducat, vel remittat. Ne humeros attollat, nec rursus contrahat. Ne brachium tanquam gladiator immoderate proiecitur, quamvis moderate projectum sit telum orationis, quo interdum feriuntur animi. Ne finistram jactet, nisi in maximo sermone calore. Ne manum supra os, vel oculos immediate ponat, nec demittat infra pedes. Ne manus ad femur apponat, nisi raro, cum ad indignationem movere voluerit. Ne pede supplantat, nisi cum de rebus maximis agit. Ne digitorum gellum indecorum adhibeat: nec ipsorum argutis utatur. Ne crebro expuat, vel tussiat, nisi necessitate coactus.

Alia indecora similia fugiat, studeatque, ut actio sit libera, ac naturalis, non affectata; item nobilis, generosa, & spiritu plena, sancta, continens, & sine precipitatione: quod totum facillime consequetur, si in principio suæ exercitationis in hac arte concionandi peritos Magistros consulat, à quibus erudiatur, & corrigatur.



PARS TERTIA.

Examen Missionariorum.

436 Quoniam ipsum Missionarii nomen aperte satis admonet, cum, qui tunc præcipuum Apostolicum opus aggredi cupit, debere esse Missum; dicente Apostolo ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Ideo primo, advertat unquamque, qui tantum verbum Dei annuncians obtinuit, nec temere ad hoc munus obeundum ingerat; sed solum, si Deo interius inspirante, ab ipso sit vocatus tanquam Aaron: quod facile dignoscere poterit, si pro unico & principali sine habeat, minime temporale aliquod emolumentum, sed Dei gloriam, & Animarum profectum. Et tunc obtenta prius Ordinariorum facultate, suorumque Superiorum benedictione, opus tam Deo charum aggredietur.

437 Secundo. Hoc peracto, cum uno, vel duobus locis (prout loci Ordinario placuerit) omni cum devotione ac modestia ad civitatem pergens, seu locum, ubi Apostolicam Missionem exercere voluerit; antequam incipiat, præmonitionem faciat Parochum de suo adventu, & sine, ut ille sibi assistat, & faveat in cunctis, quæ ad suum Ministerium conducent.

438 Tertio. Civitatem, seu locum ingrediens, unus imaginem Crucifixi antefeat; alter vero campanulam, qua dato triplici signo, alta voce laudabit Sanctissimum Jesu Christi Nomen, vel Sacramentum, & Immaculatæ Virginis Mariæ sine macula originalium conceptæ.

439 Quarto. Magis elevando vocem, dicat: *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos:* vel alium consimilem textum, aut aliquam orationem jaculariorum lingua vulgari, quæ sibi ad commovendum populum, ipsimum ad Ecclesiam convocandum, magis apta videbitur.

Hinc quasi processionaliter incedentes, Litanias B. M. V. canere poterant, vel coronam recitare; & plateas, aliaque loca populo magis frequentia transeundo, aliquantulum sistat, & verba aliqua exhortationis faciat ad excitandos otiosos: *Quid hic statis: tota die otiosi? Quærite Dominum, dum inveniri potest; vel aliud simile;* & sic omnes post se conabatur trahere.

440 Quinto. Cum in Ecclesiam fuerit po-

pulus congregatus, pulpitu Missionarios ascendat, & primum de ipsa Missionis sermone habebit, pro quo assumere poterit thēma illud, Exodi 3. *Quæst, misit me ad vos:* ostendens se tanquam Moysen ad Deo missum ad eos liberandos ab hujus præsentis sæculi Ægypto, & à miserabili servitute diaboli. Sermonem autem in tria puncta dividere poterit, differendo videlicet. Primo, de Dei gloria. Secundo, de Animarum salute. Tertio, de Emendatione vite. Invitet omnes ad penitentiam, ad compunctionis lacrymas, & ad peccatorum suorum integram atque lacrymabilem confessionem, quæ quæcipienda, sese, ac focium exhibeat, si in quoque Confessarius fuerit: nec non alios probos ad eundem Confessarios pro faciliiori expeditione adhortetur.

Denique; Si Indulgentiam plenariam teneat (uti Missionarii mei Ordinis teneat, ex num. 445.) habita prius Ordinariorum benedictione, & in Regis Bullæ, Commissarii Cruciatæ licentia, Indulgentiam publicet, & ad illam, designata die (quæ poterit esse ultima, & Dominica) lucrandam invitet.

441 Sexto. Quolibet mane Missam celebrabit, in cujus sine [si circumstantis loci, & personarum attentis, judicaverit expedire] haud parum utilis erit, verba pauca, sed fructuosa ad auditores habere, aliquod Missæ mysterium, vel textum currentis Evangelii, seu Epistolæ, breviter declarando: Et post gratias Deo actus reliquum matutini temporis in audientis Confessionibus infuset, vel in aliquod aliud pietatis officium: ut in sedandis inimicorum odii, assistendo moribundis, in Sacramento Eucharistiæ ad infirmos associando, & in aliis similibus pietatis, & charitatis operibus, ostendens se in cunctis Animarum salutem, Deique cultum, & famulatum querere.

442 Septimo. Actum Missionis perficiet hoc pacto. Populum pervenire poterit, assignando per locum teiseras convocationis, in quibus dies, & hora Missionis, & concionis notentur. Die præfixa accedente, cum per solita Campanæ signa excitabit. Et si opus fuerit, ipse cum socio Vesperarum hora cum Crucifixo & campanula ad ex-

cedem

dem convocandum exhibit, & secum ad Ecclesiam perducet.

Ibi post Vesperas ad locum aptatum ascendens, per horæ dimidium doctrinam Christianam, articuloque fidei explanabit. Utilius erit, & simul jucundum, si fiat per oppositionem puerorum aptiorum, ad hanc effectum prius selectorum, & tunc ante Missionarium coram populo dispositorum, quorum unum à Missionario de articulo Doctrinæ Christianæ interrogatum, si erret, alius corrigat, & Missionarius supra illo puncto suam declarationem addat, sicque prosequatur.

Post dimidium horam doctrinæ Christianæ, quadrantem horæ cum populo genuflexo expendit in oratione mentali, vel locali, ipsam dirigendo pro S. R. Ecclesiæ exaltatione, Principium Christianorum pace, & concordia, & hæresium extirpatione.

Statim (si fieri poterit) aptus Sacerdos, aut Clericus, in organo (si pulsari poterit) aut prepe Missionarium stans cantuicolum more loci modeste canere poterit, quæ sit materiæ concionis conformis.

Inde Missionarius in eo loco, aut in pulpito concionem habebit per tres horæ quadrantes, in cujus finem, diem, & horam futuræ concionis designabit.

Prima concio esse poterit de Confessione, & ejus partibus essentialibus, maxime agendo de integritate, dolore, & proposito. Aliis vero diebus sequentibus materiam concionum assumet, prout melius animarum necessitati viderit expedire: videlicet de quatuor Novissimis, Morte, Judicio, Inferno, & Paradiso.

De Dei misericordia in parcendo vere penitentibus. De malo procrastinantium converti ad Deum. De gravitate, & fœditate peccati mortalis.

Supra omnia autem valde fructuosum erit, imo necessarium, de decem Præceptis Decalogi, de Præceptis Ecclesiæ, & septem vitis capitalibus sermones contexere; ut plebs ignaræ & dissonæ legem Dei addicere valeat, & quæ observare, & quæque vitare teneatur, agnoscat, ne forte de ipsis Prædicatoribus suis conqueratur Dominus, dicens: *Parvuli perierunt panem, & non erat, qui frangeret eis:* Hinc haud parum proficuum erit, si aliquibus diebus à diebus concionis distinctè, horam ad doctrinam Christianam, & præmissa præcepta explananda assumat; de quibus quid discurras, sive habes in tomo I.

443 Octavo. Hoc saluberrimum Sacramentum Missionis exercitium haud habet præscriptum

tempus: perdurare autem solet per quindecim, decem, aut octo dies. Protrahi poterit ad mensē, si necessitas postulet; quod magis expediens esset pro doctrina Christiana in oppidis, & locis rudibus.

Eo tempore poterunt quinque, aut octo conciones, uti supra n. 242. fieri, juxta locorum & personarum opportunitatem.

444 Nono denique. Ad magis excitandum populi devotionem, poterit Missionarius suæ Missionis tempore duas, aut tres præcisiones ordinare cum intervenia Cleri. Primam in principio Missionis pro dispositione, ut dictum est n. 437. ad 440.

Secundam in medio pro penitentis exemplo ad peccatores commovendos, in qua deferent imaginem Crucifixi grandem cum lunariis, quantum fieri poterit, ferentibus Clericis, Sacerdotibus, Religiosis, aut Confratribus, & Congregatis supra caput, & collatum penitentis ac mortificationis instrumenta: Et tunc sermo erit de Passione Domini, vel de penitentia agenda in remissionem peccatorum.

Tertiam tandem Processionem faciet in fine Missionis pro gratiarum actione, quæ fiet cum lætitia magna, simul & devotione, deferendo imaginem Beatissimæ Virginis festivo ornatum, campanis pulsantibus, canendo hymnum, *Te Deum laudamus;* insuper gaudii, ac laudis Psalmos, & Cantica. Inde erit sermo de gratiis Deo agendis pro beneficiis cunctis, tum spiritualibus, tum corporalibus, generalibus, & particularibus; præcipue ipsius Missionis tempore ab omnium honorum largitore collatis. Cui & Ego præ ceteris gratias ago, pro hujus *Examinis Ecclesiastici* Initio, Incremento, & Meta.

INDULGENTIA PLENARIA

Concessa Missionarii Ordinis Minorum de Observantia Sancti Patris Francisci, & Christi fidelibus, ad quos iidem Missi accesserint.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

445 **C**OELesium numerum thesauros, quorum dispensatores esse nos volumus Altissimus, liberat iis impartiri, mos charitate, & Christianæ Religionis zelo, animarum salutem omni studio pro-

procurare intelligimus. Quo in genere cum Fratres Minores Ordinis Sancti Francisci de Observantia habeamus, eosque in primis, quos Dilecti Filii eorundem Fratrum Superiores ob hanc causam hoc ipso, & consequentibus annis in diversas Provincias Christianae Republicae mittere constituerunt: Nos sane eorundem Fratrum pietatem, ac operam, eorumque ad quos illi mittendi erunt, religionem, & devotionem spiritualibus gratis confovere, atque augere cupentes, supplicationibus dilecti filii Matthaei à Sancto Stephano dicti Ordinis Ministri Generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, piisque illius deliberationem, quantum cum Domino possumus, promovere volentes: de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus & singulis Fratribus dicti Ordinis, tam Reformatis, quam non Reformatis, Ministro Generali ejusdem Ordinis subiectis, ad Missiones in quibusvis locis de Ordinarij licentia respective exerceandas in futurum mittendis (ubi tamen non erant Missionarii Congregationis de Propaganda Fide) & aliis utriusque sexus Christianis Fidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, nostram, & Apostolicam benedictionem per praesentes impartimur: Nec non ipsidem vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communionis resectis, qui pro Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione,

Principium Christianorum unione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pius ad Deum preces effunderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino auctoritate Apostolica tenore praesentium pro una vice dumtaxat pro unaquaque Missionis de Ordinarij locorum licentia respective faciendi, concedimus, & elargimur. Hortantes Venerabiles Fratres, Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiarum Praelatos, & Rectores, ac verbi Dei Praedicatores, ut in suis quisque Ecclesiis, cum populus frequentior fuerit, praesentes litteras, & omnia in eis contenta publicent, & publicari faciant, ac omnem eisdem Fratribus, tam Reformatis, quam non Reformatis, favorem, & auxilium in praemis praestent. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constituta obligatae, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsi praesentibus adhibetur, si forent exhibita, vel ostensa. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die xx. Augusti, MDCCXCIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

J. F. Cardinalis Albanus.

LAUS DEO.

A P P E N D I X

Quae Mellianarum Thesium à SS. D. N. CLEMENTE XI. profligatarum, quibus sua seorsim subijcitur laconica explanatio, & oppugnatio, perstringendo paucis, quae fusius, ac enucleatius in sua Trutina Antiquelliana, P. DOMINICUS VIVA Societatis JESU differuit in obsequium dogmatum Catholicorum.

1 **Q**uid aliud remanet animae, quae Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati conscientias, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

Si peccator post amissam Dei gratiam peccatum desinere liberum arbitrium, ac potestas ad honeste operandum, necnon gratia ad orandum, & ad respiciendum, delusoriae Deo ad poenitentiam invitaretur; sicut delusorie invitatur caecus ad videndum; Quo quid absurdum?

2 **I**esu Christi gratia, principium efficaci cuiusvis generis, necessaria est ad omne opus bonum; atque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

Citra Christi gratiam, quae principium efficaci est omnis boni, (hoc est citra gratiam efficacem) adhuc homo adjutus gratia sufficienti exercere potest actus virtutum supernaturalium, tum Moralium, tum etiam Theologalium. Non est itaque gratia efficax ad omne opus bonum necessaria.

3 **I**n vanum, Domine praecipis, si tu ipse non das quod praecipis.

Si Deus in vanum praeciperet, quando denegat gratiam efficacem, qua dat, quod praecipit, non ne fatuum esset praecipitum poenitentiae, quod à Deo peccatori non respicienti imponitur? Nonne inutramque esset gratia sufficiens, qua in Deum eidem confert, ut respiciat? Cum tamen ea fit beneficium ingens.

4 **I**ta, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia factis, eadem operando in illo.

Perinde quasi non esset possibilibus conversio peccatoris, quando Deus gratiam illi confert sufficientem, ut respiciat, absque eo quod respicientiam in illo operetur per gratiam efficacem.

5 **Q**uando Deus non emittit eum per anteriorem electionem gratiae suae, exhortationes, & gratiae exteriores non inferuntur, nisi ad illud magis obdurandum.

Adhortationes, & gratiae exteriores non deferunt ad obdurandum eorum peccatoris, quin

potius ad emolliendum: quamvis aliquando ex defectu propriae cooperationis de facto non emolliatur, & gratia tunc temporis collata sit inefficax.

6 **D**iscrimen inter fadus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exiguum signum peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificandum.

Erroneum est hujusmodi discrimen: cum etiam in Judaico federe contulerit Deus gratiam sufficientem ad non peccandum, nec reliquerit Deus Judaeos in impotentia ad bene operandum. Commentitium pariter est, quod semper Deus in Christiano federe sua gratia det quod jubet; saepe enim quod jubet non patitur, non quidem ex defectu gratiae, sed ex nostra culpa. Denique falsum est, peccatorem gratia divina semper purificari: cum saepe adjuvetur, quin purificatio sequatur vitio voluntatis.

7 **Q**uae utilitas pro homine in veteri federe, in quo Deus illam reliquit eum propriae infirmitati imponendo ipsi suam legem? Quae vero felicitas non est admitti ad fadus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

Erroneum est, quod Deus reliquerit in veteri federe Judaeos in sua infirmitate destitutos gratia sufficienti ad saltatiter operandum: Quomodo peccassent legem transgrediendo si illam implere non potuissent? Erroneum pariter est, tam quod in Christiano federe Deus ita donet quod petit à nobis, ut non requiratur ad illud ponendum libera nostra cooperatio; quam quod semper nobis detur gratia efficax, ut ponatur, quod Deus petit à nobis, quinimmo saepe ex nostra culpa; non ex defectu gratiae sufficientis, illud non ponitur, nec Deus nobis dat quod petit à nobis.

8 **N**os non pertinemus ad novum fadus, nisi in quantum participes sumus ipsius novae gratiae, quae operatur in nobis id, quod Deus nobis praecipit.

Novum fadus non reddit nos participes gratiae per Christum collatae per hoc, quod Deus